

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Religio af
cum fonte primo

Non uultis esse contenti communi uita.
Non sufficit uobis regulare ieiunium,
non sollempnes uigilie, non imposita
disciplina, non mensura quam uobis
partimur in uestimentis uel alimentis;
priuata preferitis communibus. Qui
uestri curam semel nobis credidistis,
quid rursus de uobis intromittitis?
Nam illam qua tociens Deum
conscienciis uestris testibus offendistis,
propriam scilicet uoluntatem uestram.
Ecce nunc iterum magistram habetis,
non me! Illa uos docet nature non
parcere, rationi non acquiescere,

seniorum consilio uel exemplo
non obtemperare,
nobis non obedire. An ignoratis quia
melior est obediencia quam
uictime?

Non legistis in regula uestra quod
quicquid fit sine uoluntate uel consensu
spiritualis patris, uane glorie
deputabitur, non mercedi?

Bernardus super Cantica sermone XIX.

Non uultis esse communi contenti uita.
Non sufficit uobis regulare ieiunium,
non sollempnes uigiliae, non imposita
disciplina, non mensura quam uobis
partimur in uestimentis uel alimentis:
privata praefertis communibus. Qui
uestri curam semel nobis credidistis,
quid rursus de uobis uos intromittitis?
Nam illam, qua toties Deum,
conscienciis uestris testibus, offendistis,
propriam scilicet uoluntatem uestram,
ecce nunc iterum magistram habetis,
non me. Illa uos naturae docet non
parcere, rationi non acquiescere,
non obtemperare
seniorum consilio uel exemplo,

non oboedire nobis. An ignoratis quia
MELIOR EST OBOEDIENTIA QUAM
VICTIMAE (Reg. S. Bened., c.49)?
Non legistis in Regula uestra, quod
quicquid fit sine uoluntate uel consensu
spiritualis patris, uanae glorie
deputabitur, non mercedi?

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones
super Cantica canticorum*, 19, 7 (SBO 1,
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais
eds., pp.112-13, ll.20-29, 1-2).